3 Apr. 1573

Rndi domini, fratres in Christo honorandi. S. P.

Reddita rursus mihi modo est epistola f. vrarum de Tolkemitensi negocio, et de citatione, et de turri campanili. Quod ad primu attinet, sic iudico. Si quid eiuscemodi à d. Consiliarijs et nuncijs harum terrarum publice proponetur, istud quoq f. vrarum nomine simul proponatur in scripto. Sin minus, poterit privatim consiliu capi à Rmo d. Archiepiscopo, vel d. Wladislavien episcopo, quibus perspecta erit ratio temporis et opportunitas.

Citationes nemini negari solent: Qualem quisq petit, vel affert, talis signatur. Ipse aut viderit actor, quali, et quomodo utatur. Stato die iudicij licet eam reo refutare, vel modum insinuationis, si iuri, vel cōsuetudini consentaneus non est.

De turri campanili nihil antehac mihi scriptum esse memini à f. vris. Quod si quis sumptus meus ad eam vel perficiendam, vel reficiendam requiritur, non possum tam facile assentiri aliquot de causis: Quae non obscurae sunt f. vris. Sin aliter, aedificent eae licebit arbitratu suo. Operas rusticas mihi non esset grave operi attribuere, si ipsis operis grave non esset. Verum aliae quidem praefecturae nrae longius istinc absunt, et partim anno superiori opus fecerunt, partim nunc facient. In propinquioribus aut non multae sunt operae. Ac Wormditenses quidem ipsae quoq anno praeterito stabulo in arce reficiendo et piscina eruenda oneratae fuere: Nec Brunsbergenses ociosae fuere hoc biennio, et habebunt hac aestate quod operentur circa villam praedialem: quam exaedificari denuo sine longiori procrastinatione necesse est. Bene valeat f. vrae. Heilsbergae 3. die Aprilis. Anno domini. 1 5 7 3.

fr

Mart. Cromerus
Coadiutor.

12

151

Rndis dominis Prelatis et Ca-
nonicis totiq. Capitulo ecclesie
cathedralis Vor^m fratribus
Christo honorand.

4^ta Aprilis A°. 1573. Der
golio Tolkemithen. Cita-
tio ut quadam debita [illegible]
[illegible] campanilis.